



Ottonis Arntzenii Oratio de Graeca Latini sermonis origine, grajaque eruditorum Romanorum lingua ...

<https://hdl.handle.net/1874/214714>

8

OTTONIS ARNTZENII ORATIO


DE

GRAECA LATINI SERMONIS ORIGINE,
GRAEQUE ERUDITORUM
ROMANORUM LINGUA,

DICTA PUBLICE

A. D. III. IDUS SEPTEMBR. CIO IO CC XLI.
CUM GYMNASII DELFICI COLLEGIQUE
LITERARII MODERAMEN
SUSCIPERET.

*Ex auctoritate
Acad. Can.*



DELPHIS

Apud REGNERUM BOITET, Civitatis Typogr.

CIO IO CC XLI.

2

V I R I S
NOBILISSIMIS. GRAVISSIMIS
GYMNASII. DELFENSIS. COLLEGIHQVE. LITERARII
C V R A T O R I B V S
MAECENATIBVS. SVIS. MVNIFICENTISSIMIS
NEC. NON
AMPLISS. CONSVLTISSIMIS. FLORENTISSIMAE
CIVITATIS. DELFICAE
M A G I S T R A T I B V S
PRAETORI. CONSVLIBVS. JVDICIBVS
AC. SENATORIBVS
ET
QVI. ILLIS. AB. ACTIS. SVNT
VIRIS. SPECTATISSIMIS
HVMANIORVM. LITERARVM. ARTIVMQVE
LIBERALIVM. FAVTORIBVS
AC. PATRONIS
ORATIONEM. HANC
DEVOTO. PECTORE. EAQVE. QVA
OPORTET. REVERENTIA
L. M. Q. D. D. D.
O T T O . A R N T Z E N I V S

V I R I S

NOBILISSIMIS ORATIONIBUS
GIMNASEI DELPHENSIS COLLEGIORUM LITTEARUM

C V R A T O R I B V S

MANCIPATIUM SVIS MANICENTISSIMIS

MACON

AMPLISS CONSVLTISSIMIS FLORENTISSIMIS

CIVITATIS DELPHICAE

M A G I S T R A T I B V S

PRÆTORI CONSVLTISSIMIS JVDICIBVS

AC SENATORIIS

ET

QVI ILLIS AB ACTIB SVNT

VIRIS PÆDAGOGICIS

LIVIANORVM LITTEARVM ACTIVISSIMIS

LIBERALIVM PATRONIBVS

AC PATRONIS

ORATIONEM HANC

DEVOTO PECTORIS FÆCULE QVA

OPORTET REVERENTIA

J. M. G. D. D.

O T T O . A R N I Z E N I V S

OTTONIS ARNTZENII
ORATIO
INAUGURALIS

DE

GRAECA LATINI SERMONIS ORIGINE,
GRAEQUE ERUDITORUM ROMANORUM
LINGUA.

AMPLISSIMI, PLURIMUMQUE REVERENDI
GYMNASII INCLITAE HUIUS CIVITATIS
CURATORES, VIRI BENIGNISSIMI.

SPLENDIDISSIME AC GENEROSISSIME
PRAETOR.

NOBILISSIMI ATQUE AMPLISSIMI CONSUL-
LES, JUDICES, SENATORES, QUIQUE IIS
ESTIS A TABULIS PUBLICIS, VIRI SPE-
CTATISSIMI.

SACRORUM VOLUMINUM INTERPRETES
EXERCITATISSIMI, FACUNDISSIMI.

OMNIUM ARTIUM AC DISCIPLINARUM
DOCTORES, INGENII ATQUE ERUDITIO-
NIS LAUDE FLORENTES.

A


PRO-

ORATIO

PRORECTOR CONSULTISSIME, CETERIQUE
PRAECEPTORES DOCTISSIMI, CONSORTES
OPERUM ATQUE AMICI CONJUNCTIS-
SIMI.

CIVES, HOSPITES OMNIS ORDINIS ET LOCI
HONORATISSIMI.

FLORENTISSIMA JUVENTUTIS SCHOLA-
STICAE CORONA, SPES PATRIAE, SPES
ECCLESIAE, NOSTER AMOR.



Uarumcumque Orbis Terra-
rum partium ac regionum
omniumque Rerum publicarum
et Regnorum gentes ac natio-
nes peculiaribus vernaculisque
sibi sermonibus a longis retro
seculis primisque fere hujus
Mundi fabricae temporibus locutas fuisse, nemo
paullo humanior ibit inficias. Horum autem
nonnullos singulari cura atque industria in dies
magis magisque cultos atque exornatos, immo
ab elegantioribus hominibus diligenter expolitos
fuisse, frequens hujus rei Historia loquitur, ac
quotidiana fere nos docet experientia. His re-
bus tamen Francos prae ceteris excellere,
aliosque longe superare populos, multisque para-
langis

I N A U G U R A L I S: 7

sangis laudabili admodum opere post se relin-
 quere, Francica illa ac Nobilissima Parisien-
 sium Academia neminem dubitare sinit. Ab an-
 no enim aerae vulgaris millesimo sexcentesimo
 vigesimo, quo primum erudita haec Societas
 condita est, singula hujus Corporis membra,
 privatis parietibus tunc delitescencia, mox au-
 tem anno superioris seculi trigesimo quinto
 publica auctoritate stabilita, confirmata atque in
 publicum protracta, nec diu post magnifico
 Professorum condecorata titulo, hoc potissimum
 negotii datum sibi crediderunt, atque hanc in
 primis hodie sibi operam inpositam gaudent ac
 laetantur, ut a se patrii sermonis nitor atque
 elegantia, sicubi forsan sordibus contaminata et
 deturpata reperiatur, purganti mox dextra ema-
 culetur, ubi vero in tenebris versari videatur,
 adfulgentibus radiis inlustretur, ut nova tandem
 instaurata luce coruscet ac fulgeat. Neque vero
 haec quisquam tamquam minuta ac pusilla,
 quod in lingua fiant vulgari et vernacula, despi-
 ciat; quamvis enim Romulea illa, vereque Con-
 sularis, Latinam innuo, communis Eruditorum
 sequiorum seculorum lingua omnino censerit
 atque haberi debeat, ut ante hos fere quatuor
 annos, cum Amplissimi Goudani Proceres

Trajecto me, ubi tunc Scholis laeto et defecato animo Pro-Rectore praeram, ut Gymnafii fuae Civitatis regundi Provinciam fufciperem, benigne invitaffent, Oratione Inaugurali, ac certis admodum firmiffimisque, ni fallor, rationibus atque argumentis evincere me memini: ipfos tamen Eruditos, quibus id volupe & commodum eft, patrii vernaculique fermonis non minimam curam habere, fed et in ejus finibus ac terminis, fcriptis elegantibus amplificandis, dilatandis atque exornandis, fi ita res et numquam remeabile tempus permittunt, diligentem ac laudandam operam ponere debere, iis, quibus haec placeant, haud fane difficulter adftipulamur. Neque hoc, quod ftatuimus, novum, inauditum, aut prorfus fine exemplo eft; hujus enim rei utilitatem fructusque haud poenitendos quum optime perciperent perfpicaciffimi illi Romuli Nepotes, patriam, Latinam nempe linguam, licet fermo Graecus, qui tum communis fere Eruditorum Romanorum lingua erat, multo effet uberior, haudquaquam tamen defpectui habuerunt, ut apud nos multi folent, qui minus recte fe loqui exiftimant, nifi ortum ex Belgici fermonis, ut calumniantur, egeftate damnum inmixtis et corraffis undique peregrinis ac maxime franciçis vocabulis

I N A U G U R A L I S. 9

cabulis refarciatur: sed illam comtiores et locupletiores e Graeco in primis sermone, unde originem habere, ac proinde novos rivulos derivandos esse optime intelligebant, omni ope collatisque viribus efficere, et recenti splendore atque elegantia perfundere contenderunt. Horatius sane eo libello, quo inter alia de adaugendis amplificandisque Latialis linguae terminis ac finibus, vel ipsius, ut ita dicam, pomeriis extendendis, praecipit, non de horridis atque obsoletis pellitorum patrum vocibus, & cinctutis Cethegis non exauditis, dicta seu nova vocabula procudenda, verum ex recentissima Graecorum penu producenda esse, sapienter pronunciat. Optimo equidem jure Vir ingeniosissimus statuebat, aliisque persuadere conabatur, tum demum verba novata et novanda venustatem, cultum, usumque idcirco habitura, si e Graecis tamquam perenni fonte, aliqua tamen ratione ad similitudinem Latini sermonis deflecterentur.

Hoc autem Eruditorum Romanorum institutum quo minus reprehendi debeat, hac Oratione, qua novo muneri, Vestra, Patres Amplissimi, benevolentia in me, id nec ambientem malisve artibus prensantem, collatum, praeludere jubeor, ostendere ac demonstrare conabor,

IO O R A T I O

bor, Romanum sermonem e Graeca potissimum lingua originem habere, multosque Quirites eandem idcirco, aliasque etiam ob utilitates ac commoda literarumque communium causa tam cupidum Catone illo adripuisse, quasi vehementissimam sitim explere cuperent: ut inde elucescat, et certe Cordatiores, quibus laeva saliat mamillae pars, si non omnes multique, intelligere queant, uti hodie Romana communis Doctorum lingua merito censetur, tantoque dignitatis gradu non sine justissimis rationibus collocatur, haud aliter olim *Graecam Eruditorum Romanorum Linguam*, qua artes scilicet studiaque liberalia literaeque humaniores omniaque disciplinarum genera commode tractari poterant, *habitam fuisse*. Quod si itaque Latinorum lingua, gentium olim domina, et commune nationum vinculum, unicaque ad solidam Eruditionem via, artium denique ac disciplinarum firmissimum merito audiit fundamentum, nemo, credo, moleste feret, nobisve succensebit, si eadem commoda eandemque utilitatem ac dignitatem Palliatorum sermoni, olim non tantum, sed hisce quoque temporibus quodammodo inesse, adfirmare Vobis, atque, ut spero, probare sustinerim.

Mate-

I N A U G U R A L I S. II

Materiam, opinor, elegi, neque Vestra, Humanissimi Auditores, attentione plane indignam, neque a Literis ac Disciplinis, quas in inclita hac Civitate, Vestra, Inlustrissimi Viri, auctoritate summoque in nos beneficio docebimus, alienam. Utinam modo viribus nostris, tanto rerum pondere in ipso Orationis limine fere subcumbentibus, non impar causa videretur! Ignoscite Auditores, Concio doctissima, si tam pulcrum Orationis argumentum non justa satis methodo, neque illa stili elegantia et perspicuitate pertracta- vero, quam quidem illius dignitas teretesque aures vestrae, rebus melioribus pompaque ornatis ac conditis Oratoria adsuetae, velle et jure quodam suo postulare videantur. Summa idcirco rerum capita tangendo, neque Albutii Rhetoris exemplo cuncta enarrando et patientiae Vestrae et virium mearum, quae sentio quam sint exiguae, rationem habere decrevi. Quodcumque itaque justo ornatui commodaeque pertractationi defuerit, hoc grata brevitate compensare studebo. Vos igitur, Nobilissimi, Amplissimi, Virtute atque eleganti quavis Eruditione conspicui Viri, Vos, inquam, vehementer oro atque obtestor, ut lenes animos facilesque peroranti aures ad- commodetis, Vestraque me, quem instituti ope-
ris

ris difficultas deprimit, summa, qua censemini, aequanimi-ate sublevetis. Hac spe, hac Vestra, tamquam laetis quibusdam auspiciis, fretus benevolentia hilari animo ad dicendum progredior.

Ne in ipso statim Orationis ingressu difficiles nimis aut morosi reperiamur, non diffitebimur, Auditores, immo ultro largimur, multa Tuscorum, Oscanorum, Volscorum, Sabinorum, aliorumque Italiae antiquissimorum populorum vocabula in lingua Latina reperiri. Certe, si Quintiliano credimus, verba aut Latina sunt aut peregrina. Peregrina vero, quod idem ille testatur, ex omnibus fere gentibus, uti homines etiam atque instituta in Civitatem Romanam transierunt. Attamen maximam longe vocum verborumque partem ex Graecia arcessendam esse, non sine quadam animi fiducia contendimus. Dudum profecto Eruditi notarunt, annorum temporumque lapsu ac decursu, variaque inflexione pro diversorum hominum ingenio, Graeca multa vocabula paullatim commutata atque in Latinam speciem ac terminationem conversa fuisse. Sic ipsam Romuleae appellationis originem ex Graeco sermone, dialecto potissimum aeolica deducere Viri inter Eruditos longe Clarissimi non infelici equidem conatu tentarunt.

tarunt. Si auctoritatibus certandum esset, quem graviolem Claudio Salmasio testem, quo Gallia merito superbit, quem meliorem Vossio patre producere possemus? Hi certe Eruditi Orbis Principes, Viri in deprehendenda vocum origine versatissimi, in Romuli, primi Romanorum Regis, nomine certa se Graecitatis vestigia ac reliquias reperisse Orbi Erudito demonstrarunt. Nomen $\rho\acute{\omega}\mu\acute{\iota}\lambda\omicron\varsigma$ diminutivam vocis $\rho\acute{\omega}\mu\omicron\varsigma$ esse speciem, eamque per aeolicam dialecton deflexam fieri $\rho\acute{\omega}\beta\omicron\varsigma$, atque ita haud abluere a Latina voce *robur*, ostendunt. Hodie certe inter Doctos fere constat, Ducem novae cujusdam coloniae, cui a roboris viriumque praestantia nomen erat Valens, Urbis Romanae tantique Imperii jecisse fundamenta, eique de suo Valentis nomine Valentiae antiquissimum longe ac fatale Reipublicae nomen inposuisse. Hanc autem Valentiam mox Graeci advenae $\rho\acute{\omega}\mu\eta\nu$ Romam, ipsum vero Valentem ducem $\rho\acute{\omega}\mu\omicron\nu$ seu $\rho\acute{\omega}\mu\acute{\iota}\lambda\omicron\nu$, hoc est, robustum sive Valentem dixerunt. Non ignoramus equidem, esse Viros Doctissimos, qui Romulei nominis adpellationem e Syria arcessunt, quod inter Israëlis posteros, filium Remaliae Pekah, ut est in Sacro Codice, memorari, immo hunc ipsum et ab Aegyptiis Interpretibus & a Josepho

pho *ἰὸν Ρομηνῆς* nuncupari reperiant. Ideoque minime mirum opinantur, nomen in Italiam transvectum ibidem commutatum, vocemque ex Asiatica ac Syriaca forma in Europaeam & Latinam speciem ac civitatem commigrasse. Sed ut dicam, quod sentio, ignoscant Eruditi Viri manes! speciosa haec prius quam vera aut genuina opinarer; nil quidquam enim, quod Romuli vel Romanorum sacra cum Syrorum Religione commune habuerint, reperio, nullasque insuper Hebraicae linguae reliquias, immo ne minima quidem, quantumvis etiam obscura sive exolescentia Viri docti invenerunt vestigia. Plurima contra et infinita alia, quod nullo fieri solet negotio, magnus idem Salmasius vocabula enumerat, quae rivorum instar ex Graeco hoc fonte limpidissimis ac dulce sonantibus aquis profluunt. Fabius Quintilianus linguam Latinam maximam partem e Graeco sermone, ratione in primis aeolica, desumptam esse, totidem fere verbis testatur. Nec longius hinc Dionysius abit Halicarnasseus, suo comprobans calculo, Romanos linguam, neque omnino barbaram, neque exacte Graecam, sed ex utraque mixtam loqui. Quid referam Varronem? qui adventitia Graeca in Latiali se sermone plurima reperisse commemorat.

Quid

INAUGURALIS. 15

Quid Festi vos morabor testimonio? qui linguam Romanorum cum Grajorum sermone eandem fere fuisse, nisi quod sola declinatione parumper fuerit inmutata, publice pronunciat. Rem ex veteribus clarissime olim expositam dederunt Suidas, Gellius et Plutarchus, ex recentioribus autem remotissimae antiquitatis Doctissimi Interpretes reique Literariae insignes plane Triumviri, at quanta nomina! Henricus Stephanus, Josephus Scaliger, et Samuel Bochartus.

Nec mirum adeo censemus, plurima ex Graecorum penu deprompta ad Romuleam hanc linguam placidissimo veluti flumine manasse; ipsos etenim Romanos a Graecis potissimum ducere originem, quis, quaeso, nisi temere dubitaret? ita ut a qua gente fuerint profecti, illius etiam linguam conseruarint, Posterisque tradiderint.

Hoc autem ut demonstrare iustius valeam, exstirpandam prius veterem illam ac perversam multorum opinionem, qua AENEAM fati ductum e Phrygia, minoris Asiae sive Natoliae parte, in Italiam venisse, Imperiique Romani fundamenta simul cum reliquis Trojanis jecisse infeliciter statuunt, ac misere sibi inponi patiuntur, hanc, inquam, opinionem prius exstirpandam et penitus

animis hominum eradicandam esse censemus, ut vadis ita et scopulis, qui Orationis nostrae cursui moram injicerent, praetervectis in apertum mare sine ulla offensione concavis deinde ac plenis quasi velis ingredi liceat. Haudquaquam ignoramus, Auditores Humanissimi, hanc opinionem a plurimis receptam ipsa diuturnitate vires sibi adquisivisse, atque in mentibus humanis tam altas radices egisse, tantumque errorum etiam gravissimorum provenitum inde subcrevisse, ut extirpando huic luxurianti lolio ne eminentissimorum quidem ingeniorum diligentia atque industria subfecerit. Quis nescit in primis laudabiles summi istius Viri Samuelis Bocharti conatus? Quem neque tot annorum, quantumvis gravissima, auctoritas neque communis persuasio compressit aut deterruit, quin hunc Poëticarum blanditiarum foetum et propaginem operanti feliciter dextra excidere ac solidissimis ex ultima antiquitate depromptis argumentis e mentibus hominum evellere atque abolere conaretur. Idcirco praeter inconstantium Scriptorum diversasque de Aeneae sepulcro sententias duo argumenta, quibus opinionem suam aliis commendaret atque adprobaret, non sine pulchra veri specie proponit. Alterum desumit a Religionis, rerum Sacrarum et Divini cultus diversitate, quod
Apol-

I N A U G U R A L I S. 17

Apollo, Venus, Cybele, aliaque Numina, quae
 Divinis Trojana gens honoribus profecuta fuit,
 tardius a Quiritibus fuerint recepta, ac longe post
 Romam conditam demum introducta: alterum a
 sermone Phrygio petit argumentum, cujus in La-
 tina lingua nec vola nec vestigium adparere ad-
 severat, nec tamen dubitat, quin plurimae etiam
 Phrygii idiomatis reliquiae, si Romani ab Aenea,
 et ex hac Orbis plaga essent oriundi, ultro sese
 diligenti rerum indagatori offerrent, cui
 quidem sententiae tanto alacrius et liben-
 tius subscribimus, quod scimus Homerum,
 qui mille circiter annos ante Christum Servatorem
 salutisque humanae Instauratorem natum, adeo-
 que duo aut tria fere secula ante Romam condi-
 tam vixit, in Divino plane Iliadis opere comme-
 morasse, Regnum Trojanorum suo tunc tempo-
 re in Aeneae Familia ipsiusque Posteris haud in-
 terrupta Natorum serie perstitisse. Non equidem
 fugit me, nonnullos, forte ut Romanis blandi-
 rentur, hunc Maeonii Vatis locum in mendo
 cubare ac prave corruptum temere pronunciasse.
 Sed dicant, quaeso, summi Poetae, si Dis placet,
 sospitatores, quomodo Homerus, ut illi nobis
 persuadere conantur, ac turpiter adseverare non
 dubitant, de Romanorum Imperio, cujus tunc

fundamenta nondum erant jacta, cogitare aut somniare potuerit. Quod si jam dicant, ipsum hoc per divinitatem adflatumque aetherium, Poëtis familiarem, sacrumve aliquem incubandi ritum percepisse, per me equidem licet: videant tamen, ne sic se merito aliorum risui ac ludibrio exponant, et merito Cordatioribus moveant cachinnos. Ceterum hoc unum, quo opinio haec de AENEAE in Italiam adventu penitus everti videatur, quodque Dionysius Halicarnasseus, ex certis edoctus Auctoribus Posteris reliquit, minime praetereundum puto, AENEAM nempe, quum in Thraciam commigratum transfret, Ascanio, dilecto sibi filio, regnum Trojae non tantum tradidisse, sed et, ut in ipsius Posteris devolveret, stabile fecisse. Immo alio loco idem Historicus sancte Lectoribus adfirmat, suo tempore superfuisse Scriptores, qui partim AENEAM cum Trojanis in Italiam venisse negarent, partim alium quemdam AENEAM, non autem Anchisae et Veneris filium, multis, ut illi fingunt, actum erroribus ac procellis, in Hesperiam adpulisse contenderent. His certe omnibus et singulis facile inducor, ut in eorum sententiam, qui AENEAM ipsiusve Subolem, ullasve Trojanae gentis reliquias, quod soli Poëtae, Caesari Augusto

gusto olim placere cupientes, finxerunt, in Italiam numquam pervenisse statuant, pedibus transirem. Non quidem ignoramus, quid Theodorus Rycquius hisce obposuerit, sed talia ea offendimus, ut illis potius stilum exercere, quam vera rimari aut docere voluisse videatur.

Sic tandem adserta satis superque hujus rei veritate, ac repulsis iis, quae Orationis cursum inhibere aut remorari possent, per planum nunc campum porro incedere pedeque inoffenso progredi liceat. Ut autem clare satis ac dilucide, Romanos e Graecis potissimum ducere originem, atque ex horum sermone ipsorum in primis enatam esse linguam, demonstrare atque omnium oculis exponere, servato quodam ordine, queam, res paullo altius, et quidem a prima gentium Asiaticarum in diversas Orbis Terrarum partes commigratione, erit repetenda; quum enim Noachi Posteris, sive ad hoc propria voluntate ducti, sive inopia rerum pressi, perturbato sane miraculi in modum mentis linguaeque officio, Babylone atque ex Chaldaea discedentes per totum fere Terrarum Orbem dispergerentur, Japheto, qui unus est ex tribus Noachi filiis, ejusdemque Posteris totam Europam obvenisse, inter ea, quae cognita

cognita sunt, merito habetur, ita ut in media luce, qui hoc in dubium vocarent, caecutire viderentur. Inter Japheti filios, ut rem paullo distinctius inspiciamus, in Sacris Literis numeratur etiam Javan, qui in illam Europae partem, quae postea Graecia nuncupata fuit, cum Gente sua concessit habitatum. Nondum tamen hodie constare satis credimus, an inpavidum hoc Japheti Genus per longinquum Asiae litorumque tractum, transmissio lethali Helles ponto, in Thraciam Graeciamque pervenerit, an vero Gens haec, audax omnia perpeti, nec pertimescens praecipitem africanum, decertantem aquilonibus, et truci pelago ratem animamque committere non dubitans in vicinas primum ex Phoenicia insulas, Cyprum ac Cretam demigraverit, atque ita sedes tandem, propagatis coloniis, in continentem Graeciae terram transtulerit. Hoc tamen scimus, Auditores, ab hoc Noachi filio *Javan* Graeciam in Sacro Codice *Savan* nuncupari, ac verosimile admodum esse, hunc Javan a Gentibus insequentibus temporibus *Jon* vocatum Jonibus ac Joniae, nobilissimae Graeciae parti, nomen inposuisse, ipsum praeterea Japheti nomen, ne quidquam nunc dissimulem, a Graecis conservatum, Romanis

I N A U G U R A L I S. 21

manis etiam cognitum fuisse, vel me tacente intelligitis; hunc namque Japetum, Promethei patrem, inter Titanes Gigantesque, qui Coelum dicuntur obpugnasse, retulerunt: quam fabulam ex historia turris Babylonicae explicandam omnes censuere.

Cum autem paullatim tractu temporis hi Javani posteri in Graecia nimium multiplicarentur, eosdem in Italiam quasdam veluti colonias submisisse, tam certum nobis est, ut nil certum magis esse videatur. Atque hi, et qui forte alii aliunde advenerint, sunt primi isti Italiae Aborigines, quos nonnulli a Graeco nomine *ἄργεον*, quod primum montuosos Italiae tractus, pro Arcadum, unde originem ducebant, natura et ingenio, utpote qui montibus delectabantur, occupassent, quidam vero a *ἀργε* origine, quod posteris suis originis a se coortae fuerint auctores, alii denique, quod errantes illuc venerint, primo *aberrigines*, post una mutata litera, alteraque canina demta *Aborigines* cognominatos esse crediderunt. Quod si speciosas has hujus nominis etymologias adcurata satis judicii atque ingenii trutina pensitaveris, tales, fateor, adparebunt, quae prius vacua et delira Grammaticorum cerebra, quam rei, qua

qua ducimur ac delectamur, veritatem declarant. Nos proinde in illorum castra transire et cum iis facere haud dubitamus, qui veram hujus vocis originem ipsis etiam Romanis, quod multi apud hos in ea enodanda varie, prout cuique ingenium suppetebat, ac frustra videantur laborasse, absconditam ac prorsus ignotam fuisse non sine ratione statuerunt.

Hi autem Aborigines Graeco nomine *Αὐτόχθονες* audiunt, hoc est, Indigenae, eadem terra ac solo, ut Trogi Epitomator ait, nati. Sic certe in genere omnes gentes ac populos antiquissimis temporibus dictos invenimus, qui a Babylonica dispersione certam quandam regionem ac plagam incolendam occuparant, sibi que quasi propriam obsederant: unde tandem in posteros manavit opinio, hosce Indigenas, ubicumque demum terrarum sedes fixissent, quorumque antiquitatem atque originem nulla memoria adsequi aut repetere valebant, e terra aut solo, quod incolebant, fungorum instar arborumque primum provenisse. Sibi namque per manus quasi traditum acceperant, primum hominem Adamum ex terra a Deo fictum et formatum, ac proinde ad hujus velut exemplum reliquos Indigenas e Tellure, communi ac benigna matre natos credebant.

Sed

Sed ne longius excurram, his Aboriginibus, sive eos Autochthones, sive Indigenas nuncupaveris, illi etiam accensendi sunt, qui postea ex Arcadia, OEnotro, Lycaonis filio, Duce, trajecto sinu Ionio, multo ante, spatio fere, ut ex Dionysio Halicarnasseo colligimus, quadringentorum quinquaginta novem annorum, quam ad Trojam pugnatum est, in Italiam sese effuderunt. Ad hos, quod miremini, nonnulli usum lunae dimidiatae, quam Senatores Romani in calceis gestare consueverunt, perperam, si quid video, retulerunt, quasi vero hoc signo indicassent, se de generis sui antiquitate cum ipsa luna certare. At quanto melius sapere videntur illi, qui hac nota numerum Senatorum centenarium, quem Romulus olim constituerat, designatum fuisse autumant! Porro circa Trojanorum fere moenium excidia e Lydia, Minoris Asiae sive Natoliae regione, Lydos, Tyrreno Duce, in Italiae partem, quae supra Tiberim atque Alpes est, invectos, domicilia sibi sedesque certas ibidem statuisse, optimorum etiam Scriptorum auctoritate, si res exigeret, firmari ac doceri posset. Hos autem, quos jam commemoravimus, et qui praeterea ex aliis terrarum oris aliunde advenerint populi, ut Sici-

li, Ligures, Umbri, distinctis et diversis linguis locutos, sed in inferiorem maxime Italiae partem, simul cum Graecis Graecam linguam adlatam esse, nemo, opinor, negaverit: ita ut res ipsa declaret, sermonem ab Indigenis in tractum istius Italiae partis, quam Tiberis praeterfluit, quaeque Latii nomine, a Saturni tempore, quod is illic latuisse dicitur, vel postea potius a Latino, Fauni filio, designata est, adlatum reliquis omnibus seu modulati soni suavitate, seu vocum et phrasium ubertate palmam longe praeripuisse, eique paullatim ex circumjacentibus ac finitimis populis eorumque linguis, maxime vero ex Graeca, cujus tum in inferiore Italia frequens usus vigebat, quaedam veluti adluvione adcessisse, et mox tam firmiter coaluisse, ut pedetentim cum ipso sermone, seu hunc Latinum dicas seu Romanum, in dies magis magisque culta, ac crescente mox Romanorum potentia, cum ipso jam Imperio per totam Italiam, reliquis linguis sensim deficientibus et morientibus, disseminata ac latissime fuerint propagata. Taceo Colonias, quae deinceps per totam Hesperiam omnesque illius plagas ac regiones, per Bruttios, Calabros, Campanos fuerint deductae ac dispersae, immo continuo qua-

si terrarum tractu continuatae: ut postea non sine ratione pars illa Italiae, Calabriam innuo, quae Graecis institutis et moribus tota tenebatur, quaeque potissimum omni Studiorum genere, in primis autem Philosophia sectaque Pythagorica florebat, magnae Graeciae nomen fuerit sortita. Quid? nonne Historici, quorum haud dubia fides est, Euandrum, regnante Fauno Rege, ex Arcadia in Italiam venisse, ibique ab eodem non parvum agri modum, ut Aurelii Victoris verba mea faciam, ad colendum accepisse, atque in eo oppidum Pallanteum, quem locum Romani postea Palatium collemque Palatinum adpellarunt, condidisse, posteris scriptum reliquerunt? Quae cum ita sint, ut re vera sunt, quid obstat, Auditores exoptatissimi, quo minus statuamus, hos etiam Arcades, homines Graece loquentes multa de sua lingua Romano sermoni admiscuisse, qua de re ipsa illa vestigia et Graecitatis reliquiae, quae magno numero, ut vidimus, in eo reperiuntur, nos haudquaquam dubitare permittunt.

Eat! eat nunc Praschius quidam! qui nobis suavissimi Romulei Sermonis originem non e Graeca illa aurium dulcedine, sed e Teutonico sibi que vernaculo boatu in dissertatione *de Origine lin-*

guae Latinae, si Dis placet, *Germanica*, tamquam perenni fonte derivare conatus est. In illa turpifane confidentia, vel ut mitius dicam, patria quadam sibi adrogantia, sancte casteque adseverare non dubitat, ita ut liquido dejerare auderet, nullum verbum, nomen aut particulam in hac se invenisse, cujus in lingua Teutonica radices non repererit. Ecce autem quid non valet, Auditores, miserum illud ac sedulo refugiendum *Patridomanias* malum, seu perversum de patriis rebusque domesticis iudicium! Ab hac tamen sententia *Viros* etiam *Eruditissimos*, quorum ego nominibus parco, non omnino abhoruisse, quis non miratur? Quod si jocularis huius opinionis argumenta quaeras, ex bellis et commerciis Germanorum cum incolis Italiae plerumque desumuntur. Nolo dicere omnino hoc carere ratione; scimus etenim ac probe intelligimus, bella populorumque commercia plurimum saepe linguis illarumque commutationi, si minus origini, nunc et olim tribuisse: hoc tamen doceri velim, si vel maxime Germanus ex suo nobis sermone Latinae dictionis spolia ostentare possit, cur ex hoc magis, quam ex peregrinis reliquis Latinam linguam originem habere statueremus.

Non

Non alia fane ratione, modo doctas sectari nugae, aut cum ratione insanire esset animus, Latine Vobis linguam ex Gallica, Britannica, Hispanica, Punica, Persica, Chaldaea, immo Arabica atque Africana, non sine veri quadam specie deducere ac derivare possem; neque enim ipse Praschius, si hic adesset, negaret, ex omnibus hisce, quas Vobis enumeravimus, linguis, quaedam etiam vocabula, in Romanam adscripta, ejusdem civitate merito gaudere. Attamen inficiari nolim, veteribus Romanis, Caligulae potissimum temporibus, Teutonum sermonem, auctore Tranquillo, cognitum quodammodo fuisse: sed inde colligere, Romanum ex Germanico ortum idiomate, tam absurdum equidem, puerile et ridiculum esse contendimus, ut seria amplius refutatione non opus esse videatur. Quin sic potius docemur, nimium ac perversum patriae amorem intellectum nonnumquam in ejusmodi tenebras conjicere, ut quid verum, rectum aut justum sit non satis discernere possit.

Sic, ni fallor, patet, Auditores Humanissimi, non aliunde magis linguam Latinam, quam ex Graeca originem atque incrementa cepisse. Nec levis haec gloria, sed summum, Hercule, decus Latini sermonis est; quod enim ab optimo auctore

Etore initium sui traxerit, fieri non potest, quin sit et ipsum optimum atque illi proximum. Hanc sane ob causam communibus literis Latialis haec Lingua merito semper adcommodata admodum habita fuit; quidquid enim in illa unquam repertum fuit, mox in hac quoque enitescere videbatur. Ideoque etiam studium ipsius numquam ab abstrusa Graecarum literarum cognitione fuit sejunctum. A Graecis certe praeter linguae originem non modo omnis scientia atque eruditio, sed et literarum formae ad Romanos pervenerunt. Multa quidem, fateor, de origine literarum a Viris Eruditis disputari, sed ea fere talia sunt, ut Lectorem ac sedulum investigatorem incertiore plerumque quam antea dimittant. A Graecis tamen literas in Latium transmissas fuisse, hodie inter omnes constat. Euandrum namque ex Peloponneso profugum, primum omnium Italicos homines legere ac scribere docuisse praeter Livium, Aurelium Victorem, Justinum, aliosque gravissimus Scriptor Tacitus auctoritate sua ac calculo comprobat, parvae admodum differentia Graecas a Latinis literis olim discrepasse, Plinius nos ignorare haud passus est. Immo Dionysius Halicarnasaeus Antiquitatibus suis, Quirites sub Rege postea Tullo Grae-

Graecis adhuc literis usos fuisse, sedulo notavit. Initio sane Latiales literas Graecis multo simili-
 liores fuisse, vel ex antiquis numis, inscriptionibus, ac vetustis monumentis neminem harum rerum paullo curiosiorem fugere posse existimamus. Denique quis nescit? Viros Eruditos easdem olim Latinorum ac veterum Ionum literas fuisse, dudum observasse: ita ut vel ex origine literarum Latinarum clareat, Latinam linguam cum Graeco sermone perpetuo quasi foedere atque indissolubili vinculo conjunctam et constrictam fuisse.

Nil mirum itaque, si studia etiam Graeca magno opere Romae, atque in Latio, immo in tota Italia floruerint. Inperitus sit sane, ac Literarum ignarus, qui diffiteatur, Artes et Scientias a Graecis transditas naviter Romanos percepisse, atque ita Graeci sermonis usum cum ipsis Literis atque elementis, tamquam quodam commercio, in Italiam longe lateque disseminatum ac propagatum fuisse. Nolo huc advocare Venusinum aut Sulmonensem Poëtam, quorum alter in Epistola ad Augustum, *Graeciam artes intulisse agresti Latio* scribit, alter eandem *victas victoribus artes tradidisse* evulgat. Quis nescit? graviorum disciplinarum Auctores Romanos mo-
 D numen-

numentis suis exstruendis instrumentum omne ex Graecis petiisse. Hujus sane rei tot fere exempla atque inlustria monumenta, haud obscuro posita loco, commemorare possem, quot Romae olim, sive quis Philosophos, sive Oratores, sive Poëtas desideret, exstiterint Eruditi. Hinc ipse Cicero in altero de Finibus bonorum et malorum, Romanos Philosophiam omnesque ingenuas disciplinas a Graecis habere confitetur. Immo Graecis literis Philosophiam diligentissime explicatam esse, eodem Auctore discimus. Ideoque amicos, quibus studium est, in Graeciam mittit, et ad Graecos ire jubet, ut optima quaeque a fontibus potius hauriant, quam rivulos confectentur. Quintumque fratrem alibi edocet, nihil Majores suos in dicendo praestare potuisse, nisi Oratores Graecos audivissent, eorumque literas cognovissent. Nil mirum itaque, credo, videbitur, quod ipse intra Atheniensium literarum officinas ac templa versatus, pectus ibi eloquentia inpleverit, studiumque suum magis magisque perfecit ac confirmavit. Athenis certe, quas omnium Doctrinarum inventrices dicere gaudebat, summam dicendi vim, et a se inventam, et perfectam esse, fratrem suum Quintum ignorare noluit. Quod si Poëtas consulamus,

fulamus, hi nobis adclamabunt: nos exemplaria Graeca, nocturna non minus, quam diurna manu versare consuevimus; Musas namque faustumque Apollinem Grajis ingenium oreque rotundo loqui concessisse, absque ulla invidia atque ingenue fatemur. Et certe Poëtae Latini omnes maximo suo commodo praestantiores Graecos sunt imitati. Sic Virgilius in Eclogis Theocritum, Georgicis Hesiodum, AENEIDE Homerum, a quo tamquam perenni fonte Romanorum Vatum ora continuo rigabantur, ita secutus esse deprehenditur, ut integros haud raro versus de verbo ad verbum reddiderit. Taceo nunc Pindarum, Callimachum, Parthenium, quorum familiaritatem lectione non tantum, sed et imitatione sibi conciliaverat. Horatius, licet curiosa et ingenii plena ipsius fuerit felicitas, Romanaeque princeps fidicem lyrae merito salutatus sit, Pindarum tamen, quum profundo inmensus ore ruit, se aemulari aut quemquam Romanorum posse negat. Quid si ad antiquiora adscendamus tempora? ibi comperiemus, Plautum e Demophilo, Enniumque ex Euripide, Terentium ac Caecilium ex Menandro multa desumsisse, Phaedrumque AEsopi fere vestigia pressisse. Mitto alios Poëtas,

qui ex Graecorum ingenio sua non tantum inventa fictionesque, sed et verba et voces inde derivare non infelici molimine sustinuerunt.

Sed quid solos Poëtas commemoro? ipsi Oratores Historicique veteres Graeca non tantum imitari, sed et in Latinum sermonem convertere utilissimum longe judicarunt. Id se L. Crassus in illis Ciceronis de Oratore libris diligenter factitasse fatetur. Id Cicero suo ipse exemplo frequentissimum praecipit. Quin multa ex Xenophonte, multa ex Platone se mutuatum, Oratione vero Demosthenis gravitatem atque Isocratis venustatem imitatum fuisse, immo operum ornamenta ex Graecia arcessivisse, ipse non negat. Idem aliis, idem Messalae placuit, a quo, teste Quinctiliano, multae ad hunc modum scriptae sunt Orationes. Et manifesta, et laudanda hujus exercitationis ratio est; Graecos etenim Auctores rerum non minus, quam verborum copia abundare, nemo, ut puto, negaverit: ita ut hos transferentibus verbis rebusque optimis uti liceat. Quid dicam aemulum Polybii Livium, Thucydidis Sallustium? Quid referam commentationes Plinii ex Graecis Scriptoribus, Philoxeno, Theophrasto, Democrate, Metrodoro aliisque desumptas. Hos ipse Plinius Auctores Historia
sua

sua Naturali ingenue candideque profiteri et laudare, utpote e quibus profecerat suaque hauserat, minime dubitavit. Taceo itaque Hieronymum, qui in praefatione ad Chronicon Eusebii, hunc veterem disertorum hominum morem fuisse commemorat, ut exercendi ingenii causa Graecos libros totaque volumina Graece conscripta Latino sermone absolverent, et quod plus in se difficultatis habet, poemata Inlustrium Virorum, servata metri necessitate, transferrent. Et sane non solum Poëtarum, Oratorum, Historicorum, sed et omnium omnino Eruditorum, maximorumque inter Romanos Virorum haec erat consuetudo, ut e Graeca doctrina Scriptoribusque, quasi perennanti profluvio ac scaturigine, sua non tantum haurirent, sed et verba de verbis, ut fidi solent Interpretes in scripta ac monumenta, posteris relinquenda, transferrent. Immo si libros ipsorum curiosa manu evolvamus, eosque non plane negligenter legamus, Linguae non tantum, sed et Graecarum disciplinarum expressam passim habebimus imaginem.

An mirum itaque, Auditores, si Grajis in Urbem receptis artibus et studiis, Graja etiam lingua Romae excoli coeperit? quid? In ipsis jam urbis Romae incunabulis, Romulum quoque et Re-

num, quam primum liberalis disciplinae capaces facti essent, Gabiis Graecarum Latinarumque literarum gratia commoratos fuisse, a veteribus memoriae proditum reperimus. Numa quoque Pompilii, secundi Romanorum Regis, libros septem Latinos de jure Pontificum, totidemque Graecos de Sapieniae disciplina, praecepta nimirum Philosophiae continentis in agro Romano, cultoribus forte terram altius versantibus, in arca quadam lapidea repertos fuisse, iidem isti veteres notarunt. Anne pater Ennius, Rudiarum alumnus vulgo tria, quae sibi inesse dicebat, corda jaetabat? quod Graece, Osce et Latine loqueretur. Inde tamen haudquaquam conficimus, jam tum Imperii Romani primordiis, Graecorum linguam apud rudes artium homines floruisse, summoque isto dignitatis gradu collocatam fuisse. Nihil minus, Auditores; scimus enim, neque hoc quemquam ignorare credimus, Romanos veteres, Graecae linguae necdum adsuetos, vix voces et verba Graeca, haud aliter quam Populares nostri Francica, distincte satis pronunciare, aut commodo verbo interpretari quivisse. Tullius certe Tiro, M. Tullii Ciceronis alumnus et libertus, in pandectis suis, ut nos docet Gellius, narrat, Romanos

nos veteres adeo literas Graecas nescivisse, rudesque Graecae linguae fuisse, ut stellas, quae speciem ac simulacrum Tauri capitis reddunt, propterea *Suculas* adpellarint, quod eas Graeci ^{vadas} vocant, quasi a *suibus* essent, ut alibi Cicero loquitur, non autem ab *imbribus* adpellatae. Si vero in proVectiora Romani Imperii tempora penitus introspeciamus et paullo adcuratius rimemur, reperiemus profecto, turpe fuisse Viro Romano, liberaliter habito, Graece ignorare, et Romae quidem minus praeclarum fuisse literas studiorum Graecas scire, quam turpe nescire. Hinc utriusque eloquentiae parens Cicero, eos, qui Graece ignorarent, *pecudes* adpellare, et Martialis, Poëta ingeniosissimus, ut forte pecudibus hisce, ne temere a grege aberrarent suo, pastores, ex rustica turba deligendos, adderet, *rusticos*, hoc est, linguae Graecae imperitos nuncupare haudquaquam sunt veriti. Hic autem Graeci sermonis honos atque existimatio inter alia Catonem majorem commovisse videtur, ut jam senex tam avide Graecam linguam adriperet, quasi fervidissimam sitim restingueret. Quis Claudium ignorat Aelianum, Praenestinum illum Pontificem ac Sophistam, qui, licet Italia pedem numquam extulisset, tanta tamen linguae Graecae

cae intelligentia instructus fuisse dicitur, ut nec Attici magis attice, promptiusve loquerentur. Avianus, Fabularum Scriptor elegantissimus, Theodosium suum, sive is Imperator sive alius Vir Eruditus fuerit, laudaturus ipsum in utroque literarum genere et Atticos Graeca Eruditione, et Latinitate Romanos superare commemorat: ut nunc frequentissimum linguae Graecae in ipsis Romanorum Scholis usum tacendo praeteream.

Non tantum autem homines Eruditos, aliosque praeclaros Viros, sed et Imperatores Romanos Graece edoctos fuisse multis exemplis, nisi tempus fere et aquam elapsam cerneremus, ostendi posset. Julium sane Caesarem familiarissimam sibi hanc linguam reddidisse, vel ipsa illa epistola, quam Graece ad Ciceronem scripsisse dicitur, docere potest. Neque ignotum est, Romanum hunc Imperatorem Graecum Scriptorem Xenophontem, cum commentaria sua scriberet, in manibus habuisse, et tum venusta puritate, tum dulcissima dicendi copia atque aequabili felicitate expressisse. Quid Augustum Vobis referam? is certe, si Tranquillo credimus, cum Eloquentiam Studiaque liberalia ab aetate prima cupide et laboriosissime exercuisset, postea Magistro suo Apollodoro haud leviori se Graecarum literarum
et

et disciplinarum studio teneri, adprobavit:
 Quin Praeceptorem ac Doctorem suum, Cla-
 rissimum illum Nicolaum, Philosophum Damasce-
 num acutissimum summo non tantum studio,
 sed et amore ac pietate profecutus fuisse perhi-
 betur. Quid memorem Tiberium? quem Graece
 promptissime simul atque elegantissime locutum
 fuisse in veterum commentariis adnotatum no-
 vimus. Nil dicam de Cajo Caesare Caligula,
 qui quum Latine haud satis sententiam expri-
 mere sciret, a Grajorum lingua suppetias atque
 auxilium quaerebat. Hinc nihil magis in na-
 tura sua laudare se ac probare dicebat, quam ut
 ipsius verbo utar, *αἰδιότατος*. Omitto Cl. Tibe-
 rium, qui Graeca non minus, quam Latina
 studia secutus, suum illorum amorem Graecaeque
 linguae praestantiam quavis data occasione pro-
 fessus est, atque idcirco Achaiam communium
 literarum commercio gratissimam sibi Provin-
 ciam adpellare solebat. Immo adeo hujus lin-
 guae Graecarumque rerum cognitione excelluit,
 ut Graece non tantum elegantissime loqueretur,
 et in Senatu Graecorum Legatis Graece perpe-
 tua oratione responderet, sed Historias insuper
 Graecas scriberet, Graecisque literis consignaret.
 Taceo nunc Neronem, qui et Graece et Latine,

E

prout

prout occasio exigere videretur, verba facere, Graecosque homines tanta benivolentia ac propensa adeo voluntate prosequi solebat, ut solos audire Graecos scire, solosque se Studiisque suis dignos jactaret. Graecis proverbiiis quanto opere delectaretur, testatur dictum, quod ei perpetuo erat in ore: τὸ τεχνητὸν πάντων γαῖα τρέφει. De reliquis Imperatoribus tacere praestat, quam pauca dicere. Vespasianus pater, qui Graecis saepe versibus tempestive uti gaudebat, primus e fisco sive aerario publico palliatis non minus, quam togatis Rhetoribus luculentissima atque amplissima honoraria constituisse memoratur. Filium hujus, Titum Vespasianum, laudatas numquam satis humani generis delicias, Latina non tantum, sed Graeca lingua, vel in orando, vel in fingendis seu pangendis poematibus ad extemporalitatem usque, ut cum Suetonio loquamur, promptum ac facilem fuisse adinvenimus. De reliquis Imperatoribus, qui nullis veterum Graeca facundia secundi fuerunt, plura a me nullo negotio dicerentur, nisi vererer, ne sic de Vestra, Humaniss. Auditores, exquisita doctrina, plenaque ac perfecta Eruditione subdubitare viderer. Quis nescit? Hadrianum Caesarem Graecis literis adeo inbutum fuisse, ut a nonnullis Graeculus vocaretur: quis

igno-

ignorat? M. Antoninum Philosophum, in Hadriani quasi gremio eductum atque educatum, et Latinos et Graecos Doctores, cum jam in Imperatoriam dignitatem adscitus esset, audivisse, et ad domum Apollonii discendi causa pedibus suis pervenisse. Profecto si omnia exempla Romanorum Imperatorum, qui Graecis literis laudandam operam navarunt, iisque Studiis prae ceteris inclaruerunt, commemorare vellem, non dicam haec hora, sed dies, mensis, annus, certe vox et latera dicentem deficerent.

Quod si ad perorandam causam haec parum sufficere, nec satis firma nonnullis videantur, porro demonstramus oportet, non tantum Viros in quocumque Doctrinarum genere praeclaros ac florentes, qui Principum etiam, summaque Imperatorum Romanorum auctoritate suo confirmabantur consilio, ac gratiosissimis hac in re suffragiis adjuvabantur, Graeci sermonis cognitionem rem longe praestantissimam censuisse, sed scripta insuper sua, Graeca, utpote quae doctorum Romanorum lingua habebatur, collato studio consignasse, doctaque posteris commenta tradidisse. Plurima equidem hujus rei promere possem exempla, sed ne adtentionis Vestrae nullam rationem habuisse dicar, pauca tantum pro-

ducemus. Novistis, vel me silente, Pomponium Atticum ab origine ultima stirpis, Romano genere natum, de Ciceronis Consulatu Graece commentarium, libenter admodum Tullio lectum et vehementer probatum concinno satis ordine scripsisse. Testatur de Lucullo Plutarchus, ipsum Marsici belli Historiam, Graecis literis conscriptam, posteris reliquisse, Postumiumque Albinum, qui cum Lucullo Cos. fuit, res Romanas Graeca Oratore stiloque exarasse, non unus Auctor perhibet. Quam plurimi sane homines Romani Urbis ac Patriae suae res antiquas Graeco olim sermone depinxerunt. In his haud postremi censendi sunt Q. Fabius et L. Cincius, vetustissimi Scriptores, qui ambo bellis Punicis aequales, ea, quibus interfuere, tamquam probe sibi cognita ac perspecta fidelissime simul ac diligentissime notarunt. Praetereo Plinium juniorem, qui se in Epistola ad Pontium, cum vix quatuordecim annos esset natus, Graecam composuisse Comoediam scribit. Nil dicam de Sexto Nigro et Julio Basso, qui Graece de Medicina, nihil de L. Aruntino, qui multa de astris Graeco idiomate evulgavit. Alios, qui longo sermone intexi possent, ut jam diei tempus est, silentii peplo involvendos censemus. Unicum addam

addam Antoninum, Consulem Romanum, cujus Epigrammata Graeca, quod tamquam Homericæ Senis mella profluere videbantur, Cajus Plinius, ut in ipsius Epistolis legimus, aemulari et Latine exprimere, quod tamen in deterius tum inbecillitate ingenii, tum patrii sermonis egestate accidisse scribit, libenter tentabat.

Hic jam Orationis cursum inhibere, et contractis velis ad portum dirigere liceret, nisi obloquentium procellam, sedandam prius, exoriri cernerem. Audire jam videor illorum voces, qui mihi occinant, tunc Graecam Doctorum Romanorum linguam fuisse adfirmabis? Quid frustra laboras? Nonne etiam pueri lascivæque apud hos puellae Graeca garrire, Grajasque voces patrio sermoni inmiscere ac fraudulentò blaesæ linguae officio quasi balbutire consueverunt? Ultro concedo, ac facile largior: nec tamen hæc causæ, quam probandam suscepi, vel minimum detrahere patior, sed sola hic distinguenda tempora contendo. Quis nescit enim? Graecos a Romanis devictos, haud aliter, quam si victores exstitissent, eosdem more suo vivere, ne nunc loqui dicam, docuisse. In inensum fane abiret O-ratio, ac luculenta alterius sermonis sponte

crefceret materia, fi per plana ac fingula eun-
do rem apertam adeo ac manifeflam omnium
oculis exponere haud difficili opera conarer.
Lippis certe ac tonforibus notum, Graeciam,
armis et virtute Romanorum devictam, Ro-
mam tandem totamque Italiam otio et luxu
fregiffe. Quin etiam nunc metuenda ifta et
formidabilis quondam Quiritium ftaret Resp.
fi non artes iftas et Graecula ftudia, quibus
fanctiffimi Romanorum mores paullatim cor-
rumpi coepere, cupide recepiffet. Tum fci-
licet Graeco more ad menfam adcumbere,
grandibus meracisque poculis feffe invitare,
Achaico mero ima viscera usque proluere,
tum nugis quifquiliisque, et turpi Graecorum
levitate tempus abfumere maximae Romano-
rum et Virorum erant virtutes: tum feminae
ac puellae Graeco fermone pavere, iram, gau-
dia, curas et cuncta animi secreta effundere,
ftrenue didicerant, quemadmodum apud nos
hodie delicati ifti ac comtuli juvenes fastidi-
ofaeque puellae, inter magnificas, Francica et
peregrina olentes, muliercularum cathedras co-
mitter ftudiofeque verfantes, Francicas voces
fefamo ac papavere fparfas rotundo et contracto
ore profundere fummae humanitatis, urbanita-
tis,

tis, miraeque esse elegantiae existimant. At
 ignoscite, quaeso, lepidi blandulique congerro-
 nes, quod umbraticus homo, nec vestris hisce
 sacris delitiisve, quae mirifice animos vestros ti-
 tillant, initiatus haec divulgare vel potius sto-
 lide effutire audeat. Quid, obsecro, haec Vos
 possent commovere, qui experiendo didicistis,
 nimiam sermonis patrii esse duritiem, intoleran-
 damque plane paupertatem, nisi melliflua Fran-
 cicae elegantiae dulcedine mitigetur et locuple-
 tetur. Quin omni potius opera animique con-
 tentione Romanorum pueros virginesque imita-
 mini, qui tum demum sese eleganter loqui puta-
 bant, quum Graeculos nativa et quaesita levitate,
 linguaeque pudenda volubilitate, si non omnino
 superarent, certe adaequarent. Immo tum de-
 mum puella Romana sese formosam et venustam
 putabat, quum de Tusca ac Latina Graecula
 plane, et de Sulmonensi, ut scribit Juvenalis,
 mera Cecropis facta esset. Sic Semproniam,
 virilis audaciae mulierem, Latinis non tantum,
 sed Graecis in primis literis ambitiose do-
 ctam, Graece psallere et saltare elegantius,
 quam probae necesse est, scivisse, Sallustius
 memoriae prodidit. Sulmonensis nos docet
 Poëta, pueros virginesque Romanos Graeci
 at

at jucundi Menandri fabulas, quarum nullam temere sine amore reperias, sedulo ac cupide lectitasse. Nec est, quod ipsis invidemus, Auditores Humanissimi; ad hunc namque dignitatis gradum apud nos hodie surrexerunt fabulae istae Milesiae et Romanenses, ut vocantur, scriptores, ad juvenum animos corrumpendos nati et confecti, quorum abundantem copiam quotannis Francia largo sinu effundit, Batavisque, non ut olim severis istis ac rusticis, sed elegantioribus et sequiorum temporum mollitie cultis et politis, atque a rudibus priscorum Germanorum moribus alienis, continuo subministrat. O largifluus ac perennis Gallulae elegantiae, adamatae levitatis, morumque, quis negaret? sanctissimorum fons atque inexhausta penitus scaturigo! quomodo Te celebrem, quibus Te verbis pro meritis extollam!

Retusum sic satis et refutatum hoc adversariorum argumentum opinor, atque ex iis, quae haecenus disputavi, clarissime, ni fallor, adparere existimo, Graecam linguam non tantum a Romanae Urbis incunabulis statim receptam, sed deinceps etiam magis magisque excultam atque Eruditis potissimum Romanis dilectam eodemque fere loco habitam fuisse, quo hodie apud nos
Romu-

Romulea illa ac Consularis lingua merito versatur. Non ignorabant enim perspicacissimi Quirites, poenitendos minime, multoque uberrimos ex hac literarum Graecarum cognitione ad se suamque patriam redundare fructus: Virique Eruditione florentes, ac prae reliquis conspicui optime intelligebant, sermonem Grajorumque literas omnia illa in se continere, unoque quasi ambitu comprehendere, quae ad decus et laudem veramque Doctrinam comparandam facerent, omniaque illa ex his solis hauriri ac derivari posse, quae hominem navumque rerum investigatorem in fastigio Eruditionis, summoque dignitatis apice constituere, locoque honorato collocare possent.

Eadem majorum nostrorum, eadem quoque omnium hodie Eruditorum sententia est, nec aliter Vos sentire Nobilissimi atque Amplissimi Viri, inclitae hujus Civitatis Coss. et Senatores, Gymnasiique Curatores Gravissimi, Vestra, qua supra alios longe lateque excellitis, testatur et clamat Eruditio. Ad Vestram Vos utilitatem, Ciceronis exemplo, Graeca cum Latinis conjungere didicistis, et *Utriusque* hujus *linguae* cognitione, quo honorato nomine Claudius Caesar eas prosequi solebat, reliquis studiis facem quasi

praeferre novistis. Quae tamen rerum pulcher-
rimarum commoda suavissima ne in Vobis solis,
Maecenates optimi et prudentes Scholarum
Ephori subsisterent, sed ad alios etiam, Ci-
viumque in primis Vestrorum filios, ipsorumque
Studia, quorum summam curam geritis, largif-
simo redundarent flumine, prudentissimo con-
silio constituistis, ut non tantum Latina in in-
lustri hoc Vestro Gymnasio doceretur lingua,
sed Graeci insuper sermonis haud levia nec
aspernanda fundamenta ponerentur. Hoc autem
cum jam olim a Nobilissimis Vestris Majoribus
sapienter fuerit institutum, eodem animo ea-
demque prudentia prospicitis, ne quidquam de-
trimenti nobile hoc Vestrum Lyceum, sanctissi-
mum quasi Majorum depositum, patiatur. Quam-
obrem huc semper Rectores vigilantissimos et lite-
ratissimos Praeceptores vocare consuevistis. Quum
vero nuper Doctissimus JOANNES CASPARUS
SCHRÖDERUS (quem utinam praesen-
tem compellare possem!) ob ingravescentem
magis magisque aetatem et singularia plane Viri
merita non indignus videretur, qui honesta mis-
sione, salvis emolumentis atque honoribus, e togata
hac militia dimitteretur, aliusque proinde quasi
saccenturiatus in ipsius locum sufficiendus esset,
hunc

hunc hominem publico et benigno decreto collectisque omnium, quo maxime exulto, suffragiis legistis, meque vix alicujus nominis ac meriti, qui ad Scholarum Vestrarum gubernacula federem, non indignum censuistis. Pro qua Vestra benevolentia dum publice Vobis infinitas ago habeoque gratias, haec me in primis cura sollicitat, quomodo tam benevolo de me meisque studiis iudicio commodissime satisfaciam. Scio enim, scio, quam adversaria nobis opposita sit exspectatio, et quam parum vires exiguae ac curta ingenii doctrinaeque supellex eidem respondeant. Haec autem, Amplissimi Patres, mentem meam non tam commoverent, quam perturbarent et de statu suo omnino dejicerent, nisi in Vestra benevolentia atque aequanimitate praesidium mihi paratum cernerem; si enim nullis laboribus, nullis vigiliis, nullis oneribus parcam, quo, adspirante divini favoris aura, hujus Lycei decus discipulorumque frequentia conservetur, seu magis magisque, nisi hoc improbum sperare sit, amplificetur atque augeatur, Vestrae fat scio non putabitis benevolentiae, eum, quem humanissime simul atque honorificentissime huc evocastis, justo destituere patrocinio. Hac spe, hac inductus fiducia petere sustineo, ut me, jam

Civem Vestrum meaque omnia favore et, quo fieri possit, amore ac pietate prosequi velitis.

Hinc, ad Vos me converto, Prorektor Consultissime, ceterique Praeceptores doctissimi, nihilque aequae aut magis a Vobis expeto, quam ut collectis mutuisque viribus, communicato ad hoc consilio, et haud temeranda umquam voluntatum, ut ita dicam, societate, commune munus geramus, Gymnasiumque, cui Inlustrissimi Proceres praefectum me voluerunt, omnibus iis procul habitis, quae huic rei impedimento esse possent, summa animorum concordia feliciter regamus. Mihi sane nulla antiquior erit cura, quam ut Batavo candore, nulloque non officiorum genere Vestrae humanitati Vestraeque amicitiae respondeam. Nulli interea parcamus labori, sed omnem, quod egregie facitis, adhibeamus diligentiam atque industriam, ut nostrae curae commissos et in posterum committendos adolescentes, carissima Parentum pignora, optimis artibus et moribus instituamus atque inbuamus. Sic certe futurum est, ut ex hac bonae mentis Palaestra, tamquam ex equo quodam Trojano Academiaram catervatim Candidati prodeant, nostrumque de re literaria bene merendi laudetur studium.

D I X I.

VIRO

VIRO CLARISSIMO
OTTONI ARNTZENIO, J. U. D.
GYMNASII DELFICI RECTORIS
ET COLLEGII LITTERARII
MODERATORIS

PROVINCIAM
GRATULOR

GERRARDUS SCHRÓDER.



Orica quem Pitbo, Chavis & miranda Venustas,

Quem beat eloquio Romula Suada suo:

OTTO, frequentato nova lux exorta Lyceo,

Delfensis salve splendor amorque Scholae!

Nostra tibi extendit Pallas pia brachia, pubem

Credit & eximia te statione locat.

Salve communis confors vectorque laboris!

Participes curae fratris amore colens.

Adspice, ut e coelo Concordia blanda sereno

Advolet e vultu nota favente dea!

Numen Amicitiae properat Candorque Batavus,

Quis tibi collegas conciliare velis,

OTTO, venit tecum cordata Modestia, timen

Gymnasi superant numina multa pede.

Dirigit huc placidum gravis en Reverentia gressum,

Et, retinet Juvenum qui fera corda, Pudor.

Suada scholae cathedram tecum conscendit, Amice,

Culta tibi dudum rite Poësis adest.

Seque tibi sociat Prudentia cana Laborque

Impiger, Integritas & veneranda Fides.

En Doctrina potens, Charitum quam ducit honora

Triga, tuas intrat te comitata scholas.

En pia Relligio, Virtus en pectore casto,

En lateri Probitas haeret amata tuo.

Credite Delfenses! peregrini mittite Delfos


Pignora praeclearo vestra docenda Viro!

Hellada

*Hellada cum Latio cupidis aperire juventae
Cordibus insolita sedulitate parat.
Hoc Rectore potens vicinis cedere numquam
Delfica cogetur Pallas honore scholis.*

E R R A T A.

p. 8. l. 24. *calum-nia* lege: *calu-mnia*
p. 15. l. 12. *deprompta* lege: *depromta*
p. 19. l. 3. *transirem* lege: *transeam*
p. 36. l. 2. *promptiusve* lege: *promtiusve*



Hollandia curia Latio curia operis formata
Cordibus infirma sedulitate formata
Hic Reditor formis videris cedens amplexantur
Dessin cogitavit Reditor honore sedulitate

E R R A T A

P. 8. l. 24. coloris: coloris
P. 11. l. 12. infirma: infirma
P. 12. l. 2. infirma: infirma
P. 13. l. 2. infirma: infirma

